Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8302
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Eburnis signis : uariisque picturis ornatus est.
Hunc quoque superiacet alter breuior quidem : sed forma
et ornatu proximus : portas habens : per quas ascendere
licebat. Tertius autem et quantus semper inferiore
loco minor : ad extremam usque breuitatem euadit.
Huius edificij forma cum altissimis turribus
comparari posset : e quibus lampade signum dari
solet : que portibus imposite : per ignem in tutas
nocte stationes iam naues alliciunt. Pharos has
multi appellant. In secundum edificium lectum
efferunt. Aromata : thura : odoramentaque omnia imponunt :
quecumque terra : frutices : herbeque ferunt. Humo-
res quoque compositi ad odorem conferuntur : aceruatique
funduntur. Neque enim gens est : neque ciuitas : neque ordo :
neque magistratus : qui hec ultima dona in imperatoris
honorem certatim non emittat. Postquam maximus
Aromatum aceruus factus est. totusque locus habun-
de repletus : circa illum apparatum hippasia
fiunt : atque uniuersus equestris ordo in orbem
cum aliqua modulatione pyrrhichio cursu ac numero
currit et recurrit. Circumueniunt currus insti-
tutione simili : qui familiares uestibus supra

Pharj.

Hippasia.

Pyrrhichia.

Currus